

CASUS

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

DE NATURA PŒNITENTIÆ

SEU

*De materia Sacramenti Pœnitentiæ; de ejus forma absoluta;
de forma conditionata.*

CASUS I.

MATERIA PŒNITENTIÆ 1°.

GERMANA, senicula, sic confitetur: « Pater, inquit, pœnitentiam in
« ultima confessione mihi injunctam peregi. Singulis diebus interfui
« Missæ. Nemini male volui. Divinis inspirationibus non sat fidelem me
« præbui. Fortasse distractiones habui inter orandum, quibus forsân
« consensi; sed quoties ad illas adverto, quantum possum, repello. Aliud,
« quod confitear, non habeo. Sumus omnes peccatores et filii Adæ, hoc
« verum est. Promitto emendationem. Timeo judicium divinum et æter-
« nam damnationem. Humiliter peto pœnitentiam peccatis meis propor-
« tionatam, et sanctam absolutionem. *Mea culpa, mea maxima culpa.* »
Rogat et urget Confessarius, ut GERMANA peccatum aliquod vitæ præte-
ritæ in specie exprimat; sed nullum prorsus ab ea emungere potest, nec
aliud responsum obtinet præter istud: *Pater, nihil mihi superest dicen-
dum.* Confessarius, non parum intricatus, eam absolvit et a se dimittit.

HINC:

QUÆR. 1° *Quænam sit materia sufficiens et necessaria Sacramenti Pœ-
nitentiæ?*

2° *An GERMANA valide et licite absolvi potuerit; vel quid fuisset
Confessario agendum?*

3° *An peccata jam remissa sint materia hujus Sacramenti?*

4° *An necesse sit, vel expediat peccatum vitæ præteritæ a pœni-
tente exquirere, ubi materia dubia vel levis tantum ab eo
offertur?*

SOLUTIO:

377. — *R. ad 1^m Quæst.* Materia necessaria Pœnitentiæ, ratione præ-
cepti confessionis, sunt omnia peccata mortalia post Baptismum commissa,
nec unquam vi clavium directe remissa. Ratione vero Sacramenti, mate-
ria necessaria et sufficiens est peccatum veniale aliquod etiam levissimum

inter venialia, modo sit offensa Dei. Omnia autem venialia, quæcumque
sint, sigillatim sumpta, materiam liberam constituunt. *Conc. Trident.
sess. 14, c. 5. — V. Comp. n. 417.*

378. — *R. ad 2^m Quæst.* GERMANA beneficio absolutionis ex illa con-
fessione donari non potuit, deficiente Sacramenti materia. Proinde pecca-
vit graviter Confessarius eam absolvendo, nisi aliqua bona fide, aut potius
simplicitate excusatus fuerit. Ratio est, quia præsumere Sacramentum
conficere, deficiente materia, est velle Sacramentum nullum efficere, quod
sacrilegum est. Caveant igitur Confessarii ne, dum benefacere volunt
devotulis absolutionem petentibus, absque sufficiente materia clavibus
subjecta, ipsi pœnam æternæ damnationis ob Sacramenti profanationem in-
currant. Quid igitur fuisset in casu Confessario cum GERMANA faciendum?
Dimitti debuisset bona mulier cum sola benedictione, facta ei licentia ut
ad Communionem accederet, siquidem nullum peccatum, neque de vita
præsenti, neque de vita præterita, ab ea emungi potuit.

379. — *R. ad 3^m Quæst. Affirmat.* Hoc est certum, inquit *S. Lig. n. 427.*
Ratio est, quia peccatum jam remissum potest adhuc remitti *per se*, et
per accidens fit ut non remittatur, cum jam sit remissum; imo est mate-
ria remissionis plenioris et abundantioris, quæ sufficit ut Sacramentum
miris effectibus non careat, scilicet, remissione pœnæ, augmento gratiæ,
etc.... *V. Comp. n. 418.*

380. — *R. ad 4^m Quæst.* 1° Non est necessarium exquirere vitæ præ-
teritæ peccatum, si materia sit moraliter certa, licet levissima, ut menda-
cium officiosum, etc.... Hoc tamen expedit ratione tutioris contritionis,
cum pœnitens difficiliter de levissimis culpis dolorem concipiat. 2° Quando
materia dubia est, generatim exigenda est alicujus peccati certi vitæ
præteritæ declaratio, vel pœnitens absque absolutione dimittendus est.
Dixi *generatim*, quia in casu necessitatis, vel si pœnitens a longo tem-
pore absolutus non fuisset, et difficile ab eo obtineri posset declaratio
alicujus peccati præteriti, juxta *S. Lig.* liceret eum absolvere sub con-
ditione, nempe: *si tu es capax.... Voit, n. 9.*

CASUS II.

MATERIA PŒNITENTIÆ 2°.

JUSTINUS, pietate ac fervore insignis, frequenter confiteri cupit, ad
beneficium absolutionis reportandum. Sed, cum sæpius nullam noxam
voluntarie admissam in conscientia deprehendat, ita se accusare solet:
*Accuso me de omnibus peccatis, quibus offendi Deum in vita anteacta,
in primis de peccatis olim commissis contra castitatem.* Si apud ordi-
narium suum Confessarium confiteatur, dicit tantum: *Accuso me de pec-
catis totius vitæ, præsertim de gravioribus, quæ alias jam confessus
sum.* Imo quandoque tantum ait: *Accuso me de peccatis in tota vita
mea commissis, et postulo sanctam absolutionem.*

HINC :

QUÆR. 1^o *An peccatum in genere sit materia valida Sacramenti Pœnitentiæ.*

2^o *An sit materia licita?*

3^o *Quid de confessione JUSTINI? An absolvendus?*

SOLUTIO :

381. — *R. ad 1^m Quærs.* 1^o Peccatum in genere seu peccatum ratione malitiæ communis in omni peccato, est, *per se*, materia valida Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est, quia rationem peccati habet; quidquid autem habet rationem peccati est materia absolutionis. Insuper valida est illa materia, licet indeterminata, in articulo mortis quando moribundus alio modo confiteri nequit, ut aiunt communissime Theologi; atqui, si Confessio illa valet in morte: in omni casu valet quia materia Sacramentorum non mutatur pro variis circumstantiis, sed semper eadem est. Ergo.... S. Thom. in 4. Dist. 21, q. 1. — Lacroix, n. 620. — Reuter, n. 303. — Bonac. et alii communissime.

Dixi *per se*, id est si peccata mortalia deficient, aut accusari nequeant.

382. — *R. ad 2^m Quærs.* Peccatum *in genere* est etiam materia licita, secluso præcepto peccata *in specie* accusandi, quod sola mortalia afficit. Ratio est, quia, ubi desunt peccata mortalia, nulla est obligatio cætera peccata in specie accusandi, cum venialia omnino omitti possint. Concilium enim Trident. nihil prorsus hac de re determinavit, nisi quod sola mortalia essent materia necessaria confessionis.

Generatim tamen expedit venialia in specie confiteri ratione directionis a Confessario accipiendæ, etc. Quod spectat ad accusationem generalem de peccatis vitæ anteaquam quam pœnitentes pii subjicere solent in fine confessionis, ad materiam Sacramenti certiore reddendam, satis est sane ut quis dicat: *Accuso me de peccatis vitæ præterit, vel totius vitæ.*

383. — *R. ad 3^m Quærs.* Bonus JUSTINUS sane beneficio absolutionis donari potest, quia, cum peccata mortalia non habeat ad nihil aliud tenetur. Attamen inducendus est ad aliqua peccata venialia, saltem *in specie*, declaranda, ut cum majori fructu Sacramentum Pœnitentiæ recipiat.

Cum pœnitentibus qui non tantum peccatis lethalibus carent, sed etiam levissimam materiam ad Sacramentum Pœnitentiæ afferunt, utiliter Confessarius subjiciet hanc vel similem interrogationem: *Præterea, nonne te accusas de omnibus culpis olim admissis contra talem virtutem?* Satis enim erit tunc ut pœnitens *affirmative* respondeat?

CASUS III.

MATERIA PŒNITENTIÆ 3^o.

AGRIPPINUS, homo ruri natus, imo rudissimus, confitetur se peccasse cogitationibus, verbis, et operibus; simulque conqueritur quod, ob se-

nium et memoriæ labilitatem, nullius prorsus peccati in specie vel in particulari amplius recordetur. Interrogatus a Confessario, nihil dicit, nisi se non recordari quid in particulari egerit. Dubitat autem Confessarius quid cum tali pœnitente agere debeat.

HINC :

QUÆR. *An AGRIPPINUS valide et licite absolvi possit? vel quid cum eo agendum?*

SOLUTIO :

384. — *R. ad Quærs.* Sic *Elbel* ad hunc casum, quem ipse iisdem fere verbis proponit: AGRIPPINUS potest et debet absolvi. Licet enim, *per se loquendo*, quivis teneatur sua peccata quoad numerum et speciem exprimere, quia tamen pœnitens supponitur esse adeo rudis et labilis memoriæ, ut nullum prorsus peccatum in specie possit explicare; hinc ob moralem impossibilitatem excusatur, æque ac alii infirmi qui, ob defectum virium, sua peccata specificè nequeunt exponere. Tenetur tamen tunc Confessarius supplere defectum pœnitentis, ob integritatem Sacramenti procurandam, non quidem petendo ut ipse enarret unum aut alterum peccatum in specie, quia hoc modo frustra et se et pœnitentem vexaret; sed proponendo eidem nonnulla peccata specifica, in quæ olim incidisse prudenter suspicari licet, v. g. hoc modo: *Numquid, bone vir, doles de omnibus peccatis tuis olim commissis, vel confessis, puta, de negligentis in Dei servitio admissis, de ingratitude erga Deum, de juramentis imprecatoriis et mendaciis, etc., etc....* Et si pœnitens respondeat se dolere de omnibus, absolvatur. Elsi enim, *per se loquendo*, tam generalis et nimis confusa accusatio non sufficiat, ob impotentiam tamen moralem excusatur. Nec ullatenus de valore Sacramenti dubitandum est, quandoquidem certo præsumere licet hunc pœnitentem in unum vel alterum ex peccatis jam in specie propositis olim incidisse. *Elbel*, n. 15.

385. — Sic *Reuter* pro istis rudibus qui *in genere* tantum confitentur, et nesciunt peccata neque *in individuo* neque *in specie* declarare:

«... Si nullum delictum, saltem in specie determinatum, nec ab ultima confessione, nec in vita præcedenti commissum, elici possit, spectandæ sunt circumstantiæ, an nempe persona illa diu non sit confessa, an speretur brevi melius instructa reditura, an sit in periculo mortis, an ruditas ejus proveniat ex naturali stupiditate, vel senio, aut defectu instructionis. Ex his perpensis, statuat Confessarius quod melius factu videbitur. Si sit persona infirma et in periculo mortis, præmissis actibus Fidei, Spei, Caritatis et Contritionis, absolvat eam. Si sana, et diu non confessa sit, nec speretur fore ut brevi melius sit instructa, exploret an sciat scitu necessaria, jubeat ut curet se melius instrui, et dein, excitatam ad dolorem, præmissis actibus Fidei, etc., eam absolvat, quia est quædam necessitas et impotentia; dumque dicit in genere se peccasse, implicite confitetur se aliquando fuisse leviter impatientem, dixisse mendacia, verba læsiva caritatis, etc. Quis enim est qui in ejusmodi non offenderit? In hoc casu cognoscitur status pœnitentis in

« confuso, et, modo quo fieri potest, materia Sacramenti est determinata. » Reuter, n. 303.

CASUS IV.

FORMA PŒNITENTIÆ 1°.

1° CELERINUS, Confessarius, affluente magna pœnitentium turba, sic per compendium absolutionem impertire solet : *Te absolvo a peccatis tuis*, adjecto vel etiam sæpe omisso signo Crucis; attamen, si occurrant majoris notæ peccatores, præsertim aliqua censura ligati, addit : *et a censuris tuis*. Idem sæpe negligit manum attollere, formæ verba profert.

2° LIBAVIUS, Missionarius, ex naturali distractione, vel ex aliqua negligentia, et in primis ex nimia defatigatione, sæpe dubitat an pœnitentibus absolutionem impertierit, aut recte verba formæ protulerit. Hinc magna torquetur anxietate. Si absolutionem ad tutius impertire velit, sæpe audit pœnitentes qui dicunt : *Sed, Pater, jam me absolvisti*. Si, contra, eos in pace dimittat, non raro reponunt : *Sed, Pater, non me absolvisti*. Si ab eis inquirat num absolutionem ipsis contulerit, cernit mirantes. Quare nescit jam quid consilii in tantis angustiis sibi capesendum sit.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quænam sint verba formæ essentialia in Sacramento Pœnitentiæ?*
 2° *An invalide, vel illicite in his egerit CELERINUS? et an graviter, vel leviter tantum peccaverit?*
 3° *Quid faciendum in dubio an verba absolutionis prolata fuerint, necne?*
 4° *Quid LIBAVIO faciendum fuisset?*

SOLUTIO :

386. — *R. ad 1^m Quæst.* Verba essentialia formæ sunt : *Te absolvo a peccatis tuis*; imo probabilius : *Absolvo te*; aut etiam, speculative loquendo, probabilius, ut videtur : *Absolvo a peccatis tuis*. Cætera ad formam Rubricarum tantum. *S. Lig. n. 430. — V. Comp. n. 425.*

R. ad 2^m Quæst. 1° CELERINUS valide absolvit; sed illicite omisit orationem : *Dominus Noster Jesus Christus...* excepto casu necessitatis. Attamen hæc omissio peccatum veniale non excedit. Cætera vero sunt de mero consilio, licet ordinarie non conveniat omittere ultimam orationem : *Passio Domini Nostri*, qua bona opera pœnitentis ad meritum satisfactionis Sacramentalis elevantur. *S. Lig. ibid.*

2° CELERINUS venialiter peccavit absolvendo a peccatis, priusquam absolveret a censuris. Imo peccavit graviter, si revera judicavit pœnitentes excommunicatione irretitos esse, et eos prius a peccatis quam a censura absolvere voluerit. *S. Lig. n. 430. — V. Comp. n. 430.*

387. — *R. ad 3^m Quæst.* Si pœnitens mortalibus caruerit, nihil est faciendum. Si peccata mortalia accusaverit, et dubium sit prudens, absolutio sub conditione repetenda est. Posset etiam Confessarius obtinere declarationem alicujus peccati præteriti, imponere novam pœnitentiam, levem tamen, et, novo contritionis actu a pœnitente ad tutius obtento, eum monitum absolvere, etiam absolute, siquidem aderunt omnia ad novam absolutionem validam et licitam necessaria. *Recole dicta in casu V°, de Sacramentis in genere.*

388. — *R. ad 4^m Quæst.* Jam provisum est responsione ad casum CELERINI. Commendanda est LIBAVIO magna attentio quoad absolutionem conferendam, ita ut, si quando ignoret utrum pœnitentem absolverit necne, saltem casus ille raro vel rarissime recurat. Occurrente vero casu, potest generatim absque nimio incommodo petere a pœnitente utrum pœnitentiam ipsi imposuerit, et postea superaddere, an absolutionem ipsi impertierit? Si nesciat pœnitens, vel si Confessarius nolit eum de hoc interrogare, potest conditionaliter absolvere, ut supra dictum est.

CASUS V.

FORMA PŒNITENTIÆ 2°.

1° REMIGIUS, Confessarius, audita TITI confessione, dum eum pie adhortabatur, motivaque contritionis efficacia ipsi proponebat, postulabatque num esset paratus ad peccatum effugiendum, advertit obstupescens illum nullum dare responsum. Respicit, sed neminem cernit : abiit pœnitens; sane se reputans absolutum. Quid faciet REMIGIUS? Numquid absentem absolvit? Sed ecce, dum hæc intra se revolvit, hominem aspicit in media fidelium turba, genibus flexis orantem, et lætabundus confestim eum absolvit.

2° HERCULIUS, Sacerdos, dum, ponti innixus, navim secundo amne transeuntem spectaret, subito videt eandem ponti illisam crepisse mediam, nautas vero cum reliquis in navi contentis jamjam in aquis immersos. Illico manum attollens et vocem elevans, HERCULIUS clamat : *Pœnitimini; ego vos absolvo a peccatis vestris, in nomine Patris, etc.*

HINC :

- QUÆR. 1° *Quænam præsentia subjecti requiratur ad absolutionem?*
 2° *Quid de absolutione a REMIGIO impertita?*
 3° *An plures simul absolvi possint?*
 4° *An valida sit absolutio naufragis data?*

SOLUTIO :

389. — *R. ad 1^m Quæst.* Talis requiritur ut verba : *Absolvo te*, censentur cadere in pœnitentem. Hinc dicitur moraliter præsens ille qui censetur posse Confessarium audire, quamvis ab eo distet. Multi eam extendunt ad 20 passus, præsertim si pœnitens non extra Confessarii conspectum abierit.

390. — *R. ad 2^m Quæ.* Absque dubio valet, quia est adhuc moraliter præsens; imo fuisset valida absolutio, licet Confessarius pœnitentem non amplius vidisset, v. g., si in media fidelium turba permixtus fuisset. Attamen, si Sacerdos absque scandalo, sub aliquo prætextu, hominem ad se revocare potuisset ut eum convenientius absolveret, id recte fecisset. Stante autem gravi incommodo, licite distantem absolvere potuit.

R. ad 3^m Quæ. *Affirm.* modo Sacerdos dicat; *Ego vos absolvo a peccatis vestris.* Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad Sacramenti validitatem. *V. Comp. n. 428.*

391. — *R. ad 4^m Quæ.* HERCULIUS potuit et debuit ex caritate illos miseros naufragos absolvere sub conditione. Ratio est, quia moribundi illi sunt moraliter præsentis, et supponi possunt velle confiteri et dare signa doloris, in casu quo a Sacerdote cernerentur. Saltem inter omnes unus vel alter potuit esse vere dispositus, et præbere omnes conditiones requisitas ut Sacramentum Pœnitentiæ in tanta extremitate valere et applicari possit. Attamen Sacerdos alta voce eos acclamare, et uno verbo adhortari ad contritionem eliciendam, vel potius eam ipsis suggerere debuit. *Elbel, n. 37.*

Quid vero, si Sacerdos post naufragium nullum amplius ex submersis vidisset? Nihilominus absolutionem conditionalem adhuc eis impertire potuisset, modo eos adhuc moraliter præsentis prudenter existimaverit; quia poterat adhuc in eo casu apparere spes validitatis, et fructus inde percipiendi. Secus autem dicendum est, si, ob impetum fluminis adeo usque dilapsi essent ut jam Sacerdotem ipsis acclamantem non amplius percipere possent.

CASUS VI.

ABSOLUTIO CONDITIONATA 1^o.

ALBINUS, Confessarius, absolvit conditionaliter, justa de causa, JACOBUM dubie dispositum. Hic autem jamjam recessurus, nescio quo fato quærit a Confessario utrum absolutus fuerit? Attonitus ille, respondet titubans affirmative, non audens declarare se conditionatam tantum absolutionem dedisse. Possum igitur communicare? iterum interrogat pœnitens. En nova difficultas; et iterum titubans ALBINUS respondet negative. Miratur JACOBUS, et rationem negationis indignabundus sciscitatur. Confessarius autem, ut sese a tantis angustiis expediat, consentit ut pœnitens sacram Synaxim suscipiat. In posterum, experientia doctus, si ipsi contingat quempiam dubie dispositum absolvere, sive expressa, sive tacita vel implicita conditione, quæ in tali casu semper habetur, confestim monet eum ad sacram Mensam accedere posse.

HINC :

QUÆR. 1^o *An oporteat, vel conveniat ut pœnitentes absoluti conditionaliter moneantur?*

QUÆR. 2^o *An Confessarius in tali casu debeat eos a Communione prohibere, vel possit eam negative vel positive permittere?*

3^o *Quid de ALBINO dicendum?*

SOLUTIO :

392. — *R. ad 1^m Quæ.* Neque oportet, neque expedit ut Confessarius pœnitentem moneat eum conditionaliter tantum absolutum fuisse, quia ex hac admonitione nullum bonum et incommoda plurima subsequi possunt. Numquid pœnitens rerum theologiarum ignarus satis intelliget quid sibi velit conditionata absolutio? Quid proderit hujusmodi admonitio? nonne inde anxietas et perturbatio pœnitentis, et ambages ipsius Confessarii? Sed dices: Pœnitens non confitebitur amplius peccata hæc, quæ non sunt forte remissa, et in æternum peribit? — *R.* Si postea alias confiteatur, hæc peccata indirecte in ipsa confessione remittentur. Si non iterum confiteatur, saltem recurrente confitendi obligatione, ipse sibi procurabit pereundi occasionem. Ergo nunquam peribit ob conditionatam absolutionem. E contrario, si a te dimittatur absque absolutione, licet forte sit dispositus, cum res dubia sit, nonne majori periculo interitus objicietur? *V. Comp. n. 436 et seq.*

393. — *R. ad 2^m Quæ.* Confessarius qui pœnitentem conditionaliter absolvit, neque eum ad Communionem impellere, neque ab ea retrahere debet. Taceat ipse, et pœnitens faciat quidquid libuerit. Etenim, si bona fide accedat ad Eucharistiam, potest etiam primam gratiam communicando accipere, si mala fide, nempe quia se indispositum sentit, ipse in periculum voluntarie se injicit. *V. Comp. ibid. — Gousset, Justific. de S. Lig. q. 8, et Lettres à M. le Curé *** , lettre 8.*

394. — *R. ad 3^m Quæ.* Quid de ALBINO, Confessario? 1^o Ad primam pœnitentis quæstionem respondere debuisset affirmative, absque ulla hæsitacione, cum reapse absolverit in quantum ferebant dispositiones pœnitentis. Quod si is forte misericordiam a Deo non consecutus fuerit, id non defectu absolutionis, sed internæ dispositionis, factum est. Etenim, si etiam modo absoluto fuisset absolutus, non ideo magis cum Deo reconciliatus fuisset. 2^o Ad secundam quæstionem debuisset respondere, rem totam arbitrio pœnitentis relinquere, et ipsum, si vellet, posse communicare; sic enim omnibus incommodis se subduxisset, nec præterea sacrilegæ Communioni, si talis futura esset, positive cooperatus fuisset, sed se mere passive habuisset. *Gousset, ibid.* Cæterum non raro dantur rationes extrinsecæ ad denegandam Communionem, quas Confessarius, saltem per modum consilii, allegare poterit: insuper pœnitens, licet absolutus, non ideo jus habet ad Communionem, quæ ab arbitrio Confessarii pendet, et ab eo quandoque denegari potest, ut supponit *Rituale Romanum.*

CASUS VII.

ABSOLUTIO CONDITIONATA 2°.

PAMPHILUS, Parochus, dubie dispositos, *adjecta conditione*, absolvit in sequentibus casibus, scilicet: 1° ægrotos graviter de vita periclitantes, præsertim moribundos, licet multo probabilius indispositos; 2° milites in exercitum vel pugnam profecturos, et nautas vel alios iter maritimum quodlibet suscepturos; 3° sponso consuetudinarios, jamjam matrimonio jungendos; 4° viros extraneos, qui vix aut ne vix quidem ad ipsius tribunal reverti poterunt, et sunt statim discessuri; 5° pœnitentes, qui certo vel probabiliter prævidentur non reversuri, etsi reverti possint; imo etiam juvenes qui minantur se non reversuros, si non absolvantur; 6° pueros septennes, et etiam decem annorum, aut semifatuos, qui probabiliter peccaverunt graviter, nec præbent nisi signa dubia dispositionis vel rationis.

HINC :

QUÆR. 1° *An absolutio conditionata concedi potuerit a PAMPHILO in præfatis casibus?*

2° *An etiam conditionaliter absolvi possint pœnitentes pii, qui materiam dubiam aut plane insufficientem afferunt?*

SOLUTIO :

395. — *R. ad 1^m Quæs.* Quoad singulos casus :

1° PAMPHILUS recte egit in primo casu, seu absolvendo *conditionaliter* omnes periculose decumbentes et dubie dispositos, urgente vitæ periculo; hoc ultro concedit etiam ipse *Concina*.

2° Recte egit eodem modo absolvendo milites vel nautas dubie dispositos, sed ad multa pericula subeunda statim profecturos. Numquid enim tutius erit pro ipsis, ut absque absolutione dimittantur, et periculis vitæ objiciantur? Nonne *Sacramenta propter homines?*

3° Recte egit etiam cum prædictis sponso; fuit enim ratio gravis eos *conditionaliter* absolvendi, quia sunt *probabiliter dispositi*, vel non constat eos esse indispositos, cum emendationem promittant. Numquid consultius erit eos non absolutos dimittere, ut matrimonii Sacramentum in statu certo peccatis mortalis suscipiant, atque ad confitendum forte nunquam redeant? Quid igitur proderit?

396. — 4° Recte pariter egit peregrinos statim discessuros absolvendo *conditionaliter*, quia ex una parte de eorum indispositione non constat, et insuper, si non absoluti discedant, forte longo tempore in statu peccati perseverabunt, et in ipso tabescent. Quid iterum proderit?

5° Male egit absolvendo viros vel juvenes adeo dubie dispositos, ex eo quod minati fuerunt se non esse reversuros, licet facile reverti possint. Hoc enim indispositionis signum indubium videtur. Quoad eos autem qui, seclusis minis, reapse prævidentur non reversuri, si dimittantur absque absolutione, major datur difficultas. Solutio ex variis personarum cir-

cumstantiis pendet; generatim in indulgentiam propendendum esse videtur.

6° PAMPHILUS conari debuisset eos disponere in quantum fieri poterat; perseverante autem dubio, pœnitentes hujusmodi *conditionaliter* absolvi possunt, saltem urgente præcepto annuæ confessionis, juxta *S. Lig. n. 432*.

397. — *R. ad 2^m Quæs. Affirmat. S. Lig.* tales pœnitentes posse absolvi *conditionaliter* interdum, imo semel in mense; sed prius Confessarius conari debet ut declarationem alicujus peccati vitæ præteritæ obtineat, si possit, quia non urget ratio gravis absolutionem conditionatam imperiendi.